







1700.

1. ^{a, b, c} = Bejerus, Pinguis: De concubitu intra
tempus luctus
2. Buscherus, Johannes: De officiis humanitatis
modis celebrando.
3. Bondell, Christianus Henricus: De usu historiae natu-
ralis arabico-geographice in medicina.
4. Gumprechtus, Johannes Pontus: De obligatione hominis
ergo patrem.
5. Itzigius, Gottfriedus Nicolaus: De veterum in Pulgathii
peshahi, cum modernis jure comparandi.
6. Mayer, Jo. Jacob: De 2 Bed & 40 yed in moribus.
7. Moertinus, Christianus Gottfriedus. An et quatenus filii
famulicis bonales Consulito Macedoniae ulentes,
habet sint in conscientia?
8. Anon.; Henricus Augustinus: De Diaconis pri-
marias ecclesiae



84^o = Schreiterus, Anisisthorus: Utinam ille, qui sub
presentia alienigenis iuris bona quaedam ex defuncto
hactenus possessa iacente hereditate occupat, in
iudicio possessionis sit preferendus haeredi posses-
sio. Defuncti. 2. Simple

10. Lovandus de offiis, Barthol. Leobhardt: Amotatorius
iuris feudalis ad lucubrations j. R. Invenitatis XII
De fine et effectus feudi quoad dominionem.

11. Lovandus de offiis, Barthol. Leobhardt: Amotatorius
iuris feudalis ad lucubrations j. R. Invenitatis X
De feudi praescriptione

12. Lovandus de offiis, Barthol. Leobhardt: Amotatorius
iuris feudalis ad lucubrations j. R. Invenitatis XI
Successione feudali

13. Lovandus de offiis, Barthol. Leobhardt: Amotatorius
iuris feudalis ad lucubrations j. R. Invenitatis
XIII. De effectus feudi quoad vasallum.

1700.

14. Linden Doerfferus, Barthol. Leshartus: Amulatioes
juris feudalis ad luentationes j. R. Incutales XIV.
De rebus feudibus.

15. Weidlingius, Amstercus: . . . Controversie juris
publici Rom. Germanici Constitutionem illustrantes

1701.

1. Alert, Gottlob: Fundaments legis naturalis brevis
evolutio.

2. Barthius, Gottfried: De successione foeminarum
in feudis, earumque exclusione per masculos.

3. Hoepfer, Tobias: Num ecclesiastice liceat
gerere capillamentum?

4. Menck, Luederus: Programma, quo ad ventile-
tionem publicam Reputatio XVIII ecclesiarum

Controversiarum selectarum juris civilis . . .
inscripendum . . . juris studioso innotat



174.

5. Mendenius, Ludovicus: De consuetudinibus parentum
inter liberos ex privilegio conditis.
6. Ritter, Andreas: De juramentis, quae falso h
tus non obligantur
7. Schmidtus, Thomas: De coronis casibusque imp
muis in sacrificiis usum.
8. Schmidt, Dr. Ludov.: De silentio moralitate.
9. Trendelenburgus, Barthol. Leonhardus: Anus lativues
juris feudalis et lucubrationses j. R. Inscritalis
De contrariis fendi.
10. Trendelenburgus, Bartholomeus Leonhardus: Anus
lativues juris feudalis et lucubrationses j. R.
Inscritalis XVI: De jndicio feudali.
11. Weidlingius, Christianus: De testamentis, quae p
rentes ex privilegio Noo 107. inter liberos suos con
dere possunt.

DISSERTATIO ACADEMICA
DE

1701, 7
25

CORONIS

earumque inprimis in sacrificiis

U S U,

ad illustrandum locum

Act. XIV. v. 13.

Quam

P R Æ S I D E

D. JOHANNE SCHMIDIO, P.P.

Alumnorum Electoralium Ephoro, Collegii B. Mariæ

Virginis Præposito ac Seniore, Facultatis Philosophicæ

h. t. DECANO,

Domino Patrono, Præceptore studiorumque suorum Pro-

motore omni observantia cultu ad cineres usque

humillimè prosequendo,

Publicæ Eruditorum ventilationi

submittitur

AUTOR & RESPONDENS

DANIEL Zilling/ Pratovalleñ. Misnicus,

Phil. Baccal. SS. Theol. Stud. & Alumn. Elect.

Ad d. 24. Decembris, A. O. R. c19 Eccl.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ,

Excudebat CHRISTOPH. FLEISCHERUS.

DISERTISSIMO VIRI
*Magnifico, Præ-Nobilissimo, Excellentissimo Consultissimo,
Amplissimo, Prudentissimo atque integerrimo,*
DOMINIS
CONSULIBUS,
PRO-CONSULIBUS,
SYNDICO,
ÆDILIBUS PRÆTORIBUS

Et reliquis

AMPLISSIMI ORDINIS SENATORII

Inclutæ Reipublicæ Lipsiensis

MEMBRIS GRAVISSIMIS

DOMINIS PATRONIS EVERGETIS AC STUDIORUM
MEORUM PROMOTORIBUS

omni pietatis affectu prosequendis,

à SUMMO CORONÆ SALUTIS DATORE

æternum! justitiæ coronam

adpreceatur

hanc disertatiunculam

devotissime

D. D. D.

imò quoque se ac sua studia humillimè
commendat

TANTORVM NOMINUM

Cliens ac Cultor æternus,

DANIEL Illing.



F. N. F.

S. I.



Ntequam de usu coronarum in sacrificiis ad locum Biblicum, qui ex Apostolorum actis desumptus est, illustrandum progrediamur, de Coronarum origine, materiâ, formâ atque usu quadam generatim præfari lubet. Circa *Originem* non eadem omnium est sententia. Nos, qui à Christo adpellamur, vero Deo eandem adscribere non dubitamus, neque cum *Terulliano* (a) coronarum in Veteri Testamento usum negandum esse arbitramur. Erant sanè non modò arca fœderis, altare atque mensa aliâque sacris usibus dicata iussu Dei coronis quibusdam cincta (b), sed etiam duas in templo columnas coronatas fuisse, sacre literæ testantur (c). Ipse quoque summus Pontifex coronam in fronte gestabat auream (d), quemadmodum reliqui sacerdotes byssinis usi fuisse *Augustino* atque *Lyrano* (e) videntur, quorum ille *Simeonem coronatum* nominat (f). Gentiles verò quod attingit, illos à suis fictitiis Diis coronarum originem deduxisse notum est. *Athenæus* (g) quidem coronas inter Jani bifrontis inventa refert, *Plinius* (h) verò cum *Terulliano* (i) Liberum patrem primum coronana capita imposuisse, ac *diadema, Regum insigne*, invenisse memorat, & artificium coronas accuratè nectendi à Sicyoniis manasse ait. Quemadmodum verò ex his elucescere videtur Ethnicos, Diaboli instinctu, qui Dei simia dicitur, uti aliis in ritibus, sic etiam in coronarum usu Israelitarum morem fuisse imitatos; ita non ferendus est *Jo. Spencerus*, qui Deum, cum populum suum coronis uti juberet, ad seculi consuetudinem, quam tamen ille fugere semper mandavit, respexisse, adeoque coronarum originem ethnicam esse censet (k). Quamvis enim nostræ sen-

tentia Tertullianum opponat, qui à candidatis diaboli coronarum usum introductum esse, disertè adserit (l), hunc tamen de idololatricà institutione, non verò de vera coronarum origine loqui quis non videt?

- (a) De coron. Milit. c. 9. (b) 9. Exod. XXV, 11. 24. 25. XXX, 4. XXXVII, 2. 12. 26. (c) 2 Chron. IV, 12. (d) Exod. XXIX, 6. Conf. Braunius de Vestitu Sacerdotum Ebræorum L. 2, c. 22. (e) in Exod. cap. XXXIX. (f) Serm. 13. de Temp. (g) Dipnos. L. 15. (h) H. N. L. 16, c. 4. L. 7, c. 56. L. 21, c. 2. L. 35, c. 11. (i) de Cor. mil. c. 7. (k) De leg. Hebr. ritual. L. 3. Dissert. 5. cap. 1. sect. 7. p. 226. (l) l. c.

§. II. In coronarum materiam si inquiramus, diversam admodum eandem fuisse videmus. Aliæ enim ex gemmis, aurò, aliisque pretiosis metallis; aliæ ex ramentò è cornibus tinctò, ex laminà aëreà inauratà aut argentò obductà; aliæ ex lana, linò, arundine omnique adeò materià plectili, nexili, plicatili, tortili ac flexili conficiebantur (m). Impri- mis verò coronæ ex vario florum genere, quas *Pancarpas* vocabant (n), ex diversis graminibus, herbis, plantis, variarum arborum frondibus, ramis ac foliis contextæ apud veteres in usu erant, cum aliæ arbores, frondes atque herbæ aliis consecratæ essent Diis. Sic Baccho nectebantur coronæ ex hedera, quem propterea *κισσοκόων* Homerus adpellat in hymno (o); Apollini è lauro; Jovi è quercu; Minervæ ex olea; aliis ex aliis frondibus, quæ quidem de re jam plurimi auctores egerunt (p). Cæterum singulare est quod *Plinius* de Cappadocum gente memorat, apud eam lege sancitum fuisse, in omnibus sacris herbà ambrosià coronari (q).

- (m) 9. Plin. H. N. L. 16, c. 4. L. 21, c. 2. & L. 22, c. 3. nec non Paschal. de Coron. L. 1. c. 12. & L. 9, c. 7. (n) Conf. Stuckius de Sacrif. f. 159. a. (o) 9. Plutarch. in quaest. Rom. qu. 112. Alex. ab Alex. L. 4, c. 17. cum not. Tiraquell. P. 1, p. 109. & Everard. Feith. Antiq. Homeric. L. 1, c. 11. p. 56. (p) Paschal L. 4, c. 2. Natal. Com. Mythol. L. 1, c. 10. p. 24. Stuck. l. c. f. 64. & 79. Pfeiffer. antiq. Græc. p. 67. Nicol. Phyllob. cap. 2. §. 1. cap. 3. §. 5. aliq. (q) H. N. L. 27, c. 4.

§. III. Formam coronarum quod attinet, vel essentialis vel accidentalis, ut Philosophorum linguâ utamur, illa dici potest. Essentialis in orbiculari figurâ atque rotunditate consistit, quæ coronæ ita propria est, ut illa à veteribus dicta fuerit *βριγνός ὁ περιτρέχων κυκλόθεν* (r).
Cum

Cum nimirum antiqui formam sphericam pulcherrimam, perfectissimam atque ipsius Dei hieroglyphicon crederent (s), & coronis eam deligere voluerunt. *Accidentalis* verò conficiendi rationem respicit, quam multiplicem esse novimus. Datur enim corona *paucilis* seu compactilis, quæ insertis floribus aut aliis rebus pangitur; *Sutilis*, quæ confuitur filis flores constringentibus; *plectilis* vel plicatilis aut nexilis, quæ aut è furculis, aut ramulis aut frondibus plectitur; *volubilis*, versatilis vel rotatilis quæ impulsâ volvitur, utpote ex pomis fructibusque duris nexa; *conscissilis* vel tonsilis, quæ ex foliis detonsis nexa est; *radiata*, ex cuius laminâ aureâ radii supernè emicant; *lemniscata*, à qua lemnisci atque teniæ dependent, ut alias pro ingenii varietate discrepantes formas taceamus. (t),

(t) v. Paschal. L. 1. c. 7. (s) v. Manil. Astron. L. 1. §. 210. seqq. Pier. Valer. Hieroglyph. L. 39. c. 7. 8. & 16. Casal. de profan. & sacr. ritib. L. 1. c. 26. p. 48. (u) Qui solet, consulas Plin. H. N. L. 21. c. 2. & 3. Gell. L. 18. c. 2. Turneb. L. 2. c. 30. L. 18. c. 29. Paschal. L. 1. c. 13. L. 9. c. 13. Stuck. antiqu. Condit. L. 3. c. 16. f. 368. Salmas. in Solin. f. 86. & 703.

§. IV. Jam de usu coronarum quædam dicenda sunt, quem varium atque multiplicem fuisse legitur. Fuit enim I.) *natalitius*. Solebant scilicet veteres non modò cum recens infans ipsis natus esset foribus coronas suspendere, quâ de causâ, notante *Meurzio* (u), *puerperæ domus* $\sigma\epsilon\delta\alpha\nu\eta\phi\acute{o}\varsigma$ dicta est, sed etiam in adultiorum natalitiis lucernas ad januas accensas ramis & floribus coronare, quò illud *Perfii* (x) quidam referunt:

*Herodis ventre dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas. &c.*

2.) *Nuptialis*. Sic enim non modò Hebræi antiquissimis temporibus pro variâ neogamorum conditione coronas aureas, argenteas, roseas, myrteas, oleaginas usque ad secundi templi excidium in nuptiis adhibuerunt (y), sed etiam apud Græcos Romanosque, sponsus & sponsa utriusque adfines ac domestici, thalamus præterea, mensa, ac tota domus solebat coronari (z). 3.) *Convivalis*. Constat nimirum antiquos cum

convivia celebrarent, tum in luxuriæ ostentationem, tum ebrietatis remedium coronas capiti imposuisse, quas vel quilibet ad convivium secum adferebat, vel ab hospite accipiebat (a). 4.) *Agonalis* atque *Scenicus*. Coronas, quibus in certaminibus atque theatris usi sunt veteres, *Plinius* ludicras (b), *Tertullianus* agonisticas causas adpellat (c). Proponebantur autem præmii locò in certaminibus Olympicis corona ex oleâ vel oleastrò; in Pythiis ex esculò Jovis & laurò Apollinis; in Nemeis & Isthmiis ex apiò, quamvis etiam in certaminibus gymniceis ex aurò aliquando confiterint (d). 5.) *Militaris*. Donabantur enim milites pro variâ egregii facinoris naturâ variis coronis, ad quas civica, castrensis, vallaris, muralis, obsidionalis, equestris, navalis, rostrata aliæque pertinent (e). Spectant hûc triumphales atque ovales coronæ, quarum illâ triumphantes, hæc ovantes cingebantur (f). Neque tamen in triumphis ipse tantum Imperator, sed & reliqui milites coronabantur. Ita Alexander M. coronatò exercitu victor ex Indiâ rediit, exemplò Liberi Patris (g). 6.) *Gratulatorius*. Erant scilicet coronæ munera ac dona, quæ bene rebus gestis Imperatores ab amicis accipere consueverunt (h). Sic Tyriorum civitas coronam auream magni ponderis per legatos in titulum gratulationis Alexandro M. misit (i). Ut morem illum omittamus, quò in eos, qui omnium studiis excipiebantur, coronæ conjici solebant (k). 7.) *Funebris & Sepulchralis*. Nam non mortui tantum coronabantur, uti interfectum Pelopidam coronis aureis donârunt (l), & coronam auream imposuit Alexandri corpori Augustus (m); sed & urnæ, rogi, sepulchra, imagines & statuæ defunctorum coronis ornabantur (n): ἐδίδοτο, inquit *Suidas*, ὁ στέφανος ὡς τὸν βίον διηγωνιστένοισι. 8.) *Regius, Augustalis & inauguralis*, qui adhuc hodiè obtinet (o), & ob quem *Plinius* Diadema Regum insigne vocat (p). Neque tamen tam varius coronarum usus apud Ethnicos saltem, verum etiam apud ipsos Christianos frequens fuit. Quamvis enim quidam primitivæ Ecclesiæ Patres, uti *Terrullianus* (q), *Clemens Alexandrinus* (r), *Minutius Felix* (s) atque *Prudentius* (t), acriter admodum & vehementer in coronas insultaverint, ipsique primi Christiani capita sua iisdem insignire detrectaverint, sequentibus tamen seculis ab illò prioris ævi rigore deflexerunt, atque sapius sine erroris periculò aut suspitione coronis usi sunt (u), factumque hinc esse videtur, ut sanctorum imaginibus circulus quidam instar coro-

næ adpositus esse videatur. Inter coronas, quarum usus hodiè apud Christianos obtinet, eminet partim corona Clericalis, sive tonsura Clericorum eorumque qui sacris ordinibus initiati sunt in modum coronæ facta (x): partim triplex illa Pontificis Romani corona, quam Antonius Mazoronius atque Theophilus Raynaudus peculiaribus scriptis illustrant.

(xi) *Attic. lect. L. 4. c. 10. Conf. de hoc ritu Juvenal. Satyr. 9. v. 85. Nonimutæ Dionys. L. 25. p. 654. Et Thomam Bartholinum de puerperio Veterum cum notis eruditæ Casparis Filiæ. (x) Sat. 5. v. 180, in quem locum v. Farnab. Conf. Jo. Nicolai Phyllobol. c. 5. s. 2. p. 32. (7) v. Job. Seldeni Uxor Hebr. L. 2. c. 15. (2) v. Paschal. L. 2. c. 16. 17. Maderus de corona nuptiali. Jo. Philippus Pfeifferus antiqu. Græc. L. 4. c. 16. seqq. Rosin. antiqu. Rom. L. 5. c. 37. p. 607. (a) Conf. Sapient. Libr. c. 2. v. 8. Plin. Hist. Nat. L. 28. c. 3. Jo. Douglæum Analect. Sacr. part. 2. p. 174. Salmas. in Salin. f. m. 392. Et 751. Alexand. ab Alexand. Hier. Genial. l. 5. c. 21. Pfeiffer. l. c. c. 4. 835. p. 706. Dieteric. de sffarsione florum th. 9. p. 141. quam ejus Dissertationem Joh. Nicolai sive Phyllobolæ adjecit, Paschal. L. 2. c. 2. seqq. Et Stuckium Antiqu. Convisal. L. 3. c. 16. (b) H. N. L. 21. c. 3. Conf. Salmas. in Solin. f. 86. (c) De coron. Milit. c. 13. (d) V. Sueton. in Domitianum c. 4. Natal. Com. Myrb. L. 4. c. 1. p. 415. Pfeiff. l. c. p. 113. 127. 132. Alex. ab Alex. l. 5. c. 8. Paschal. L. 6. c. 18. 199. (e) V. Gell. Noct. Attic. L. 5. c. 6. Alex. ab Alex. L. 4. c. 18. Wolfgang. Lazius in Comment. reipubl. Rom. L. 9. c. 18. Rosin. antiqu. Rom. L. 10. c. 27. Paschal. L. 7. Et Jacob. Lydius in Syntagm. sacro de re militari L. 6. c. d. p. 250. Schefferus de militia navali Veterum L. 4. c. 3. p. 275. seqq. (f) V. Sigon. de antiqu. Jur. Rom. c. 22. p. 87. seqq. Streb. Vecchius in Peges. L. 2. c. 7. p. 23. Et 8. p. Alex. ab Alex. L. 6. c. 6. Rosin. antiq. Rom. L. 10. c. 28. Paschal. L. 8. Et quos Lydius l. c. addit. Valtrinus de re milit. Rom. L. 6. c. 4. Lipsius de Milit. Rom. L. 5. Dial. 17. Rob. Valsurius de re milit. L. 12. c. 7. (g) v. Pinius H. N. L. 16. c. 34. Curt. L. 9. c. 10. (h) ut loquitur Hirt. de Bell. Alex. c. 7. Conf. Lips. de magnitud. Rom. L. 2. c. 9. Paschal. L. 4. c. 9. Scheff. l. c. L. 4. c. 2. p. 272. (i) V. Justin. L. 11. s. 10. Et Curt. L. 4. c. 2. Et 5. ubi Freinsheimius plura hujus rei exempla collegit. (k) V. Nicol. Phyllobol. c. 7. s. 1. Et Dieteric. flor. sars. th. 5. p. 53. Et 132. (l) Corn. Nep. in ej. vit. c. 5. v. 5. p. m. 325. (m) Suet. in August. c. 8. (n) Conf. Paschal. L. 4. c. 5. 6. Et 12. Pfeiff. l. c. p. 564. Et 757. Kirchm. de funer. Rom. L. 1. c. 11. Et 4. c. 3. Jo. Saubert. de Sacrif. c. 24. p. 547. (o) V. Jo. Christoph. Becmanni Notis. Dignit. illust. Diss. l. c. r. s. 2. Et Dissert. 4. c. 1. Et 3. Jo. Baptist. Casal. de prof. Et sacris ritibus L. 1. c. 26. p. 48. Et Paschal. L. 9. (p) H. N. L. 7. c. 56. (q) in Apolog. rito. Et Libr. de Coron. milit. (r) Pedagog. c. 8. (s) in Apolog. (t) in Psychomath. v. 353. (u) V. Lorin. in Act. Apost. c. 14. v. 13. Casal. de Sacrif. Christi.*



Christi. viribus p. 61. & 334. Tob. Pfanneri Observat. Ecclesiast. observat. 4. ubi causas, ob quas Christianis corona prohibebantur, solido fundamento deservit animadvertit, & praeterea de vario coronarum apud Gentiles usu disserit. (x) V. Gregor. Thronens. de mirac. l. 1. c. 28. & Casal. h. c. p. 268.

S. V. Equidem hic de medicinali, magico, contumelioso, lascivo, poetico aliisque coronarum usibus plura in medium proferre possemus, verum de usu sacrificiali maxime nos dicturos esse promissimus. Tam frequenter autem in sacrificiis corona utebantur veteres, ut *Paschalius*, cui integro libro quarto de coronis sacris sermo est, eam vix ullam divini cultus partem caruisse, dicere non dubitet, id quod ab aliis auctoribus quoque confirmatur. Ipse *Plinius* (a) primum quidem omnium Liberum patrem capiti coronam ex hedera imposuisse docet, postea tamen Deorum honori sacrificantes sumpsisse, victimis simul coronatis. *Tertullianus* (b) non sacerdotes modo atque hostias, sed & fores & aras & sacerdotum ministros coronatos fuisse ait. Imo illos, qui sacris intererant, vasa, quibus in sacrificiis utebantur, simulacra Deorum, focos, januas, templa, civitas, aliaque coronis cingere praefici consueverunt (c), quam consuetudinem jam paululum illustrare placet.

(a) *H. N. l. 16. c. 4.* (b) *De Coron. mil. c. 10.* (c) *V. Lil. Gregor. Gyrald. de nat. Deor. Syntagm. 17. Alex. ab Alex. l. 4. c. 17. p. 1091. Nat. Com. Myth. l. 1. c. 10. p. 23. 25. Stuck. de sacrific. p. 79. a. & 119. 4. Saubert. de sacrif. c. 10. p. 192. Io. Spencer. de leg. Hebr. rit. l. 3. c. 5. p. 226.*

S. VI. Primo quidem sacrificantes coronatos fuisse constat. Nam licet Saturno & Honori & Herculi olim capite aperto sacra fierent, reliquis tamen Diis sacrificaturi uti varia capitis ornamenta, mitras, diademata, infulas, ita etiam coronas atque ferta variis ex rebus confecta habebant (a), quod imprimis haec *Tertulliani* verba probant: *Igitur purpura illa & aurum cervicis ornamentum, eodem modo apud Aegyptios & Babylonios insignia erant dignitatum. Quo more nunc praetexta, vel trabea, vel palmata, vel aurea corona sacerdotum provincialium, sed non eadem conditione.* (b) *Plato* in sacrificiis & celebritatibus pulchra veste aureisque coronis ornatum sacerdotem rem divinam facere ait (c), & apud *Plinium* sacerdos ad stante puero cum acerra & corona pingitur (d). Idem *Plinius* scribit (e), quod Romulo ab *Acca Laurentia*, nutrice, spicea corona in sacerdotio pro religiosissimo insigni data sit, qua prima apud Romanos corona fuerit. Hinc non modo factum fuit, ut corona sacerdotalis adpellaretur (f), sed ut etiam

am coronatus eundem significaret, qui sacerdotium gerit (g) Præterea hunc sacrificantium habitum etiam exempla docent. Sic Xenophon, cum sacra faceret, corona ornatus erat (b), & Gulsæ sacrificanti corona de capite malo omine decidit (i), quemadmodum & Regi Syphaci illud evenit, de quo ita Poeta (k) canit:

*Vittaque, majorum decoramen, fronte sine ullo
Delapsa attactu, nudavit tempora Regis.*

Sic Virgilius (l) Regem Anium, Phœbi sacerdotem, Vitis & lauro sacra tempora redimitum introducit; Prudentius de Flamine scribit (m):

Flamen & ipse suas miratur vertice laurus.

& Pausanias (n) Apollinis Ismenii ministros laureatos fuisse refert. Sacrificantium numero supplicantes eosque, qui diis aliquid consecrebant, addimus. Hos enim pariter atque illos coronatos incesisse, facile ex Livio, (o), Suetonio (p), Seneca (q), Virgilio (r), Ovidio (s), Tibullo (t), aliisque auctoribus prolixius ostendere liceret, nisi brevitati studeremus.

(a) V. Stuk. de Sacrif. f. 69. Pfeiffer. antiqu. Græc. l. 1. c. 34. p. 68. Carol. Ruæum in not. ad Virgil. Æn. l. 3. v. 495. (b) De Idololat. c. 18. conf. Guilielm. Ouzremum de sacrific. l. 1. c. 5. p. 57. (c) Ex Platone refert Stuk. l. 2. p. 796. (d) H. N. l. 51. c. 10. (e) H. N. l. 18. c. 2. (f) V. Ammian. Marcellin. l. 29. c. 5. p. 621. ed. Gronov. (g) V. Paschal. de Coron. l. 4. c. 13. Saubert. de sacrific. p. 129. (h) Elian. H. V. l. 3. c. 3. & Val. Maxim. l. 5. c. 10. (i) Sueton. c. 28. (k) Sil. Ital. l. 16. v. 267. (l) Æn. l. 3. v. 80. (m) in Apoth. v. 551. (n) Ex eo memorat Fr. Junius ad Tertull. de cor. c. 7. p. 128. (o) V. l. 40. c. 37. & l. 43. c. 13. (p) in Aug. c. 98. (q) in Agamemn. Act. 2. sc. 3. v. 362. (r) Æn. l. 12. v. 119. (s) Trist. l. 5. & 3. v. 3. (t) l. 2. & 1. v. 15.

S. VII. Deinde quoque Deos eorumque simulacra coronis circumdata fuisse legimus, utpote quæ Deorum honores erant (a), & quarum nulla antiquitas nisi Deo dabatur (b). Testantur hunc Gentilium morem Arnobius (c), Lactantius (d), Artemidorus (e), & imprimis Tertullianus (f), quin hac re declaranda multus est, atque inter alia ait: Inter Deos gentilitatis Saturnum Pherecydes ante omnes referri coronatum: Jovem Diodorus post devictos Titanas hoc munere à cæteris honoratum. Dat & Priapo Iamias idem & Ariadne ferunt. Atque huc pertinet ille Plauti locus, in quo Lar familiaris ita loquitur (g):

Hinc filia una est: ea mihi quotidie
Aut ibure, aut vino, aut aliquid semper supplicat,
Dat mihi coronas.

Et alibi apud eandem Poetam (b) Euclio hæc verba profert:

Nunc Tusculum emi & hæc coronas floreas:
Hæc imponentur in fœco nostro Lari.
Ut fortunatas faciat gnate nuptias.

Ex quibus verbis patet imprimis in nuptiis felicitis eventus causa lares fuisse coronatos (i). Nec tacendus est Probus, Imperator, qui aliquando hujus consuetudinis observantissimus ad Senatum Romanum scripsit (k): Coronas aureas Jovi Opt. Max. ceterisque Diis Deabusque immortalibus vestris manibus consecrate. Cæteram uti Ptolomæus heliochryso coronasse Deos dicitur (l) ita alia ejusmodi exempla sicco jam pede præterire placet (m).

(*) Plin. H. N. l. 21. c. 3. (b) Plin. H. N. l. 16. c. 4. (c) Ad. gent. l. 7. p. 237, ubi etiamne Diis, inquit, feris, coronis adficiuntur & floribus? (d) Lib. 2. c. 1. p. 138. Postquam metus deseruit, at, & pericula recesserunt: tum vero alacres ad Deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronant. (e) Onirocrit. l. 2. c. 34, ubi ita scribit: Στριφανὸς θεῶν ἀφ' ἑσπέρης ἡμέρας ἄφ' ἡμέρας ἡμέρας ἄφ' ἡμέρας ἡμέρας (f) De Cor. mil. c. 7. (g) in Prolog. Aulular. v. 23 sqq. (h) in Aulular. Act. 2. sc. 8. v. 15. (i) V. Taudeman, in b. l. Plauri. (k) Top. sc. c. 15. (l) Plin. H. N. l. 22. c. 35. (m) Conf. hæc de re Clem. Alexand. περὶ τῶν. l. 2. c. 8. Tiraquell. ad Alex. ab Alex. T. 1. p. 702. Saubert. de Sacrific. c. 24. p. 544. Dietric. flor. sparsion. 1b. 6. p. 137. Nicolai Phyllobol. l. 2. c. 1. pag. 9. & l. 4. c. 3. & Paschal. de Coron. l. 4. c. 1. 199.

§. VIII. Jam quomodo victimæ atque animalia Diis deabusque in sacrificiis oblata fuerint coronata videamus. Strabo (a) certe testatur, Persas sacrificantes coronatam hostiam statuisse, & Lucianus (b) illos qui immolant feris primum coronare pecudem ait, ut Juvenulem taceamus, qui hunc ritum sine dubio respexit, scribens (c).

Quaque coronata lustrari debeat agna.

Sed quid opus est multis verbis probare victimas olim coronis fuisse ornatas, cum de minoribus victimis notum illud sit omnibus, verum majores hostias quod attinet, inter quas bovi princeps locus assignatur, circa illarum coronationem dubitandi locus superesse quibusdam videtur. Huic enim obsta-

re maxime videtur *Plinius* (d), qui Deorum honori in sacris nihil aliud excogitatum esse dicit, quam ut auratis cornibus hostie majores dumtaxat immolarentur, quibus verbis factum est, ut *Alexander* ab *Alexandro* (e) victimas majores dum immolantur auratis cornibus procedere minores coronatas offerri scripserit, quem alii sequuntur (f). At vero, utinemo negare potest boum cornua, ornatus caula, auro fuisse obducta; unde apud *Virgilium* (g) *Aescanij* *Jovem* ita alloquitur:

*Ipse Tibi ad Tua templa feram solennia dona
Et statuam ante aras, aurata fronte juvencum.*

Ita etiam coronas inter majorum hostiarum ornamenta fuisse statuimas. Sane *Plinius* qui alibi scribit (h): *semper victimae coronari solebant*, in illo loco nihil docere aliud videtur, quam praeter majores victimas nullas alias quoad cornua auro fuisse exornatas. Quamquam ergo istis verbis vittas atque fascias ab utroque cornuum parte dependentes haut excludit has enim hostiis adpensas fuisse constat (i); ita neque coronas a boum immolatione abfuisse inde probari potest. Potius tot antiquorum testimonia illud confirmant, ut mirum alicui videri possit, qui factum fuerit ut quidam eruditorum id negaverint. Huc pertinent illa *Prudentii* (k):

*Huc taurus ingens fronte torva & hispida
Fertis revinctus aut per arnos floreis
Aut impeditus cornibus deducitur,
Nec non & auro frons coruscat hostie,
Setasque fulgor bractealis inficit.*

Et illud *Statii* (l)

Tum fera caeruleis intexit cornua fertis.

Sic *Diodor. Siculus* (m) de Apolline Pythio scribit: ἐσήμαανεν ἐν πέννη γίρει καὶ θεῶν θυσιῶσι Φίλιππον ἰσπερ τὸν πάλρον ἐσεμμένον σφαγήσειν, & *Plutarchus* aliquando centum & viginti armentales boves mitris ornatos atque corollis ad sacrificium deductos esse refert (n). Unicum adhuc *Theophrasti* locum addere liceat, quippe qui egregie hanc consuetudinem illustrat. Ita autem de inepte ambitioso scribit (o): βένθους, τὸ προμετωπίδιον ἀπαιτικρὸν τῆς εἰσόδου προσκαταλέυσαι, ἐμίμασι μεγάλοις περιδήσας, ὅπως οἱ εἰσόντες ἴδωσιν ὅτι βένθουσι. Caeterum

verum *Saubertus* (p) etiam majoribus victimis coronas fuisse impositas prolixius probat, qui etiam antiquum marmor depictum exhibet, in quo victima taurina caput coronatum cernitur.

- (a) lib. 15. p. 488. Conf. Gyrald. Syntagm. 17. p. 499. (b) De Sacrific. T. 3. p. m. 92. v. eund. de Dea Syria T. 3. p. m. 791. (c) Sat. 13. v. 65. (d) H. N. l. 33. c. 3. (e) Hier. Gen. l. 3. c. 12. p. 707. & l. 4. c. 17. p. 1094. (f) P. Struck, de Sacrific. p. 77. Dieter. flor. spars. th. 7. (g) Aeneid. l. 9. v. 627 in quem locum Donatus commentatur: Consuetudo permansit, ut vacca & taurus auratis fronte & cornibus Jovi Capitolino mallerentur. Plura de hoc cornua inaurandiritu qui videre cupit, adeat Everard. Feith in antiqu. Homer. l. 1. c. 9. p. 44. & Struckium de sacrific. p. 77. (h) H. N. l. 10. c. 4. (i) Ita Ovidius Metam. l. 7. v. 428. canit:

Feruntque secures

Colla torosa boum vincthorum cornua vitis.

Et Metam. l. 15. v. 130.

Vitima labe carens & praestantissima forma

Sistitur ante aras vitis praesensionis & auro.

- (k) Peristeph. v. 1021. Conf. eund. in Apoth. v. 530. (l) Theb. l. 4. v. 449. (m) Ex eo refert Priceus in Comment. ad Aet. 14. v. 13. (n) In Emil. Paul. (o) In Charact. Ethic. c. 22. p. m. 62. (p) De Sacrific. p. 386. f.

§. IX. Tandem templa, aliasque res sacras inter sacrificandam coronatas fuisse, exempla varia probant. Judaeos jam non attingimus, quos faciem templi coronis aureis ornasse legimus, (a) sed de Gentilibus imprimis loquimur, inter quos templa coronandi consuetudo frequens fuit. Hinc Chryses Sacerdos apud Lucianum (b) Apollini objicit: *Ἐγὼ μὲν σε τὸν νεῶν τῆς αἰσεφανατὸν ὄντα ποικίλεις ἐσεφάνασαι;* & Ovidius (c) canit:

Templa coronantur, bellatricemque Minervam

Cum Jove Disque vocant aliis, quos sanguine voto

Muneribusque datis & acerris iberis adorant.

Uti vero solenne fuit gentilibus in omni publica vel privata latitia posses atque fores floribus atque arborum frondibus coronare: (d) ita imprimis sacrarum aedium januas vario coronarum genere decorabant. Ita Tibullus (e), ut alia exempla faciamus, canit:

Flava Ceres Tibi sit nostro de rure Corona

Spicea, qua templi pendeat ante fores.

Aras

Arae quoque, altaria & focos, in quibus sacra fiebant, coronarunt; (licet nonnunquam non in ara sed in nudo pavimento Græcos sacra peregrisse compertum sit) (f), huc respiciunt *Ovidius*. (g):

*Fumida cingatur florentibus ara coronis,
Micaque solenni thuris in igne sonet.*

Propertius (h):
*Costum molle date & blandi mihi thuris honores;
Terque focum circa laneus orbis eat.*

Idem (i):
Inde coronatus ubi thure piaveris aras.

& *Statius* (k):
*Date ferta per aras,
Festaque pallentes hilarent altaria lucos.*

Vasa præterea & *cistas* sertis redimire solebant, quin & alveos, lintres, equos & asinos, qui sacra vehiebant, atque naves, quorum puppibus coronas imponebant quod ibi navigii sacrarium esset. (l) Verum de his omnibus jam plura dicere superfedemus.

(a) 1. *Maccab.* 4. v. 57. in quem loc. *V. Commentar. Josephi Stephani Valentini Com- mentar. Tom. 1. p. 72. Oriole 1603. impress.* (b) *De Sacrif. T. 3. p. 83.* (c) *Met amorph. l. 8. v. 264.* (d) De hoc ritu v. Junium ad Tertullian de coron. mil. c. 10. *Struck de sacrif. f. 159.* b. *Polyd. Virgil de invent. l. 1. c. 1. Paschal. l. 2. c. 17. & imprimis Casp. Sagittarium de januis veterum cap. 30. quod de coronatis inscripsit.* (e) *Eleg. 1. v.* (f) *V. Cael. Rhodigin. l. 12. c. 1. & Alex. ab Alex. l. 4. c. 17. p. 1987.* (g) *Triph. l. 3. & 13.* (h) *Eleg. 4. v. 6.* (i) *Eleg. 3. v. 8.* (k) *Sylv. 3. v. 23. Plura hanc in rem vide apud Pfeiffer. antiqu. Græc. l. 1. c. 34. p. 62. sqq. Saubert. de Sacrif. p. 343. & Thom. Crenium in præfat. quam Saubert. præfixit. p. 48. Paschal. l. 4. c. 18. pag. 261. (l) *V. Turneb. c. 19. l. 2.**

§. X. Quod si jam ex nobis aliquis *finem* querat, ob quem tam frequens apud gentiles coronarum in sacrificiis usus fuerit, triplicem cum dicere possumus. Primus quidem & ille *remotus* preparatio ad sacra rite celebranda erat. Nimirum non illud saltem agebant veteres Gentilium, ut sacra facturi à profanis cogitationibus longe abessent ac pura mente ad Deos accederent, verum etiam externæ puritati atque elegantiae admodum

studebant, quoties res sacras solebant tractare. Hinc manus lavabant, vestes mundas induebant, ac variis ceremoniis Deorum cultui sese prae-
 rabant, quibus si coronarum adjiciemus, à scopo forsitan haut aberrabi-
 mus. *Alterum finem* & quidem proximum, majorem religiosi sive super-
 stitiosi cultus solennitatem facimus, ad quam non minimum coronarum
 usum contulisse credimus. Erant enim coronae in sacris spectatissima ho-
 noris gestamina, laetitiae publicae indices, ac testes sausta quaevis atque læ-
 ta nunciantes, nec non ob florum fragrantissimum odorem hilaritatis ju-
 cundissima incitamenta; qua de causa etiam in luctu ac publica calamitate
 cum cæteris ornamentis coronae frangebantur, lacerabantur & humi pro-
 jiciebantur. (a) *Ultimum* ac *tertium finem* felicitatem à Diis impetran-
 dam esse putamus. Cum enim vani homines existimarent, nihil gratis
 Deos facere, sed vendere sua bona mortalibus (b) ita, ut emere ab iis li-
 ceat omnia, nempe bonam valetudinem, bucula, divitias bobus quatuor,
 regnum bobus centum, sospitem a Troja in Pylum reditum tauris no-
 vem esse quoque quaedam reputabant, quæ vel gallo, vel thure, vel corola
 la ab illis redimi possent.

(a) *P. Paschal. de Coron. l. 2. c. 9.* (b) *P. Lucian. de Sacrific.*

§. XI. Ex his itaque, quæ hæcenus diximus, omnino lux quadam
 accedere videtur historia, quæ in Apostolorum Actis c. 14. v. 13. exponi-
 tur, ubi verba ita fluunt: *Ὅδὲ ἱερεὺς τῆς Διὸς τῆς ὄντος πρὸ τῆς πόλεως*
αὐτῶν, ταύτης ἐστὶν ἑμίματα ἐπὶ τῆς πολίτεως ἐνέγκας, σὺν τοῖς ὄχλοις
ἤθελε ψεῖν. Horum verborum circumstantias si examinemus vel remo-
 tiores, vel propinquiores, easdem esse videmus. Remotiores quod atti-
 net, occurrit (1.) *Delatio Pauli & Barnabe ad Lycaonia urbes*, Lystram ac
 Derben, quas hodie *Andreas Thoveus*, quem *Baudrandus* in Geographia
 sua hujus rei testem citat, prorsus everlas esse dicit. Lycaonia vero est
 pars Cappadociae inter mare Ponticum & Cyprum sita, ubi mancipio-
 rum tanta quondam vilitas fuit, ut, Lucullo regionem illam peragrante,
 Romani venales servos quatuor drachmis repetirent. Et *Strabo*, ipse
 Cappadox, suorum civium ingenia tam servilia fuisse refert, ut, cum
 Romani suis legibus eos vivere permisissent, illi tamen libertatem de-
 precati sint, eamque intolerabilem sibi esse dicerent. (a) (2.) *Evange-*

Hi annunciatio v. 7. a Paulo atque Barnaba propterea facta, ut gentiles illis in locis ad fidem Christianam perducerentur. Neque illa omni earrunt successu, quamvis Gentilium idololatria ac quorundam Judæorum fervor obstare videretur, uti ex v. 22. patet. (3.) miraculosa Lystrensis ejusdam claudi sanatio v. 8. 9. & 10. comprehensa, quæ præsidio Domini contingebat, qui testimonium perhibebat sermoni gratia suæ, dabatque ut signa & prodigia fierent per manus eorum, ut v. 3. dicitur. (4.) Opinioni de Diis ortæ divulgatio v. 11. exposita. Turba enim isto Pauli miraculo percussa rumorem concitaverat, Deos hominibus adsimilatos cælo descendisse. (5.) Divinorum honorum collatio, quæ partim ex præconio v. 12. exhibitæ, partim ex sacrificio, quod v. 13. refertur, elucet. Vocabant nimirum Lystrenses Barnabam Jovem: Paulum vero Mercurium, quod is sermonis dux esset, illisque adeo tamquam Diis visitantibus se sibi que benefacientibus sacra facere conabantur, cui conatui illam de Lycaone fabulam (b) occasionem præbuisse verisimile videtur. (c) Quamvis non negari possit, hominibus bene meritis divinos honores interdum exhibitos fuisse, id quod vel solo Danielis Prophetæ exemplo probari potest, cui Rex Nebucadnezar hostias decrevit (d).

(a) V. Borhart. Phaleg. l. 3. c. 12. p. 207. (b) Hanc descripsit Ovid. Metamorph. lib. (c) Conf. Ofsander in Bibl. suis ad b. l. (d) Dan. cap. 2. v. 46. Conf. Hesiod. Oeconomy. v. 97. & Plaur. in Pseudolo, Atq. r. st. 3. v. 92.

§. XII. Jam circumstantias propinquiores ipsumque adeo sacrificium si attendamus, Jupiter in suburbio cultus, Sacerdos Jovis, Ministri sacrorum, Turba, Tauri, Serta, & tandem januæ accuratius considerari possent: verum ne longius ab instituto nostro recedere videamur, de tauris saltim atque fertis sive coronis pauca addere placet. Nimirum uti in V. T. supremo Numini bouum oblatio non displicuit (a), ita quoque inter gentiles admodum solennis fuit (b). & Plinius (c) scribit: *hinc optima victima & lautissima Deorum placatio*. Mactabantur itaque boves *Maris*, quod exemplo Romanorum probatur, qui cum populus in camp

campo Martio iustraretur hostias, taurum, arietem & hircum huic Deo obtulerunt (d), Neptuno & Apollini, quod ex Virgilio (e) constat.

*Aeneas meritis arvis maclavit honores
Taurum Neptuno, taurum Tibi pulcher Apollo.*

Plutoni, sic Horatius (f) canit:

*Non si tricenis quotquot eant dies,
Amice, places illacrumabilem
Plutona tauris.*

Ut alios Deos jam taceamus, quibus boves sacrificabantur. Hoc loco Lyfrensis Jovis sacerdos boves, & quidem, uti credibile est, duos, adducit ut unum Barnabae, tanquam Jovi, alterum Paulo, tanquam Mercurio, immolaret. In Mercurii sacrificiis boves fuisse adhibitos Persius (g) docet:

*Rem fruere exoptas caeso bove, Mercuriumq;
Areesis fibra.*

Jovi vero factum fuisse tauris praeter locum nostrum biblicum varia antiquorum testimonia comprobant. Sufficiat hic adduxisse illud Ovidii (h):

*Dis tribus ille focus totidem de caespite ponit;
Lecum Mercurio, dextrum tibi bellica Virgo,
Ara Jovis media est; maclatur vacca Minerva
Alpedi vitulus; tauras tibi summe Deorum.*

Equidem non ignoramus lege Solonis bovem maclandum non fuisse; & Servium non modo asserere contra religionem Regi coelestem taurum maclari (i). Sed etiam apud Macrobius (k) ab Evangelio reprehendi Virgillum, ut Pontificii juris ignarum, quoniam Jovi taurum im-

mo-

molari finxerit, cuius etiam rei testes citat Evangelus. Attejum Capito-
nem & Labeonem]Ctos. Verum quod ad Solonis legem attinet, illam
de bove tantum aratore explicat *Ælianus*, (l) consuetudinem autem istam
pontificio jure stabilitam non perpetuam fuisse contraria exempla satis
confirmant (m), ita ut non necessarium esse videatur cum *Lorino* (n) ad
locum hunc biblicum ita commentari: *Non fuisse necessarium ut, qui
Romanis parebant, non, civiles tantum, sed, etiam sacras leges obser-
varent.*

(a) *V. Exod. c. 20. v. 24. cap. 29. v. 10. Lev. cap. 1. v. 3.* (b) *Huc pertinet il-
lud Horatii Od. 4. 2. 53.*

*Te decem tauri, totidemque vacca
Me tener solvèrvitulis.*

(c) *H. N. l. 8. cap. 45.* (d) *Dionys. Halicarn. l. 4. pag. 215.* (e)
Æneid. l. 3. v. 118. Conf. Æn. l. 2. v. 201. (f) *Horat. Od. 2. 14. 5.*
(g) *Sat. 2. v. 44.* (h) *Metam. l. 4. v. 752. 99.* (i) *Ad Virgil. Æn.*
l. 3. 21. (k) *l. 3. c. 10 p. 326.* (l) *l. 5. c. 14.* (m) *Conf. Alex. ab Alex. Gen.*
diar. l. 3. c. 12. p. m. 689. & p. 691. & Tiraquell. in not. Farnab. in not. ad
Obid. Metam. l. 4. v. 752. (n) *in Comment. ad h. l.*

§. XIII. Tandem quaeritur, num fersa atque coronæ, quarum
hoc loco fit mentio, ad solos tauros sit restringenda. Ita existimant
illi, qui *ταύρους καὶ σέμματα* cum vulgata versione *tauros vittatos* seu *co-
ronatos* reddunt, & illam loquendi formulam hic obtinere ajunt, quæ
Hendiadys, q. d. *ἐν δὲ δὴ δὴ δὴ*, vulgo adpellatur atque rem unam dua-
bus vocibus explicat, uti in illo *Virgilii* (a) *pateris libamus & auro*, h. e.
aureis pateris, *Servio* ita h. l. interpretante (b). Ast cum hac ratione
usus coronarum in Sacrificiis nimium coangustetur, neque causam vi-
deamus, cur voces conjungendæ sint, quas Spiritus S. ipse distinguit, arbi-
tramus potius non tauros tantum, sed etiam sacerdotem, sacrorum mini-
stros, turbas, quæ sacerdotem sequebantur, jantias, quarum expressa in textu
sit mentio, aliaque, quæ ad sacrificii adparatum pertinebant, fuisse co-
ronata. Imo verisimile nobis videtur *Lystrenses* ipsum *Paulum* ipsum-
que *Barnabam*, tanquam *Jovem* ac *Mercurium*, tam ostentandæ pie-
tatis, tum cumulandi divini cultus causa, coronare voluisse, nisi san-

ctissimi viri scilicet vestibus irruentes in turbam tam impium conatum magna contentione prohibuissent. Quæ sententia eo magis nobis placet, quo minus displicuisse illam doctissimis viris (c) videmus, ex quibus solum *Ursinum* nominare liceat, qui *sacra facturi*, inquit, *tam capita sua, quam victimarum, quin & Deorum suorum & ipsas templorum ædiumque suarum januas, uti Actor. 14. vers. 13. coronabant.*

- (a) *Georg. l. 2. v. 192.* (b) *Sequuntur hanc sententiam Erasmi Schmidius in not. ad N. T. pag. 881. Job. Gerhard, in annot. ad Acta pag. 511. Sal. Glassius in Philolog. S. l. 3. pag. 25. Petr. Rabanell. in Biblioth. Sacr. P. 1. pag. 382. Georg. Pasor in Lex. N. T. sub voce circumag. pag. 618. & Jo. Doughteus in Anal. S. part. 2. excurs. philolog. 54. pag. 80.*
 (c) *Conf. Lorin. in Comment. in b. l. itemque Grotium.*

§. XIV. Atque hæc sunt quæ breviter & festinante calamo de coronis earumque imprimis in sacrificiis usu commentari placuit. Faxit DEUS ter optimus terque maximus, ut cum mortalem istam vitam exuerimus, illa æternæ vitæ præstantissima corona nobis parata sit, quam indulgentissimus Pater certantibus ac vincentibus promissit.



COROL-

COROLLARIA.

I.

Sacrificiorum oblatio non est juris naturalis.

II.

Ἀνθρώπουθυσία apud Gentiles usitata juri naturæ repugnat.

III.

Per Azazel Levit. XVI. v. 8. non intelligitur Cæcodæmon.

IV.

A veritate abire videtur sententia eorum, qui statuunt, traductos per ignem solummodo non crematos fuisse Molocho pueros.

V.

Verò similior nobis videtur sententia affirmantium

✿) 20 (✿
umquam negantium, à Jephtha filiam immola-
tam fuisse.

VI.

Ad Myfticam Theologiam apud Gentiles veteres fa-
crifi

VII.

Excusandi prorsus non sunt Sacrificati, qui olim
suppliciorum vitæ vel etiam bonorum amif-
fionis metu idolis sacrificabant, licet reve-
ra Christianam ex animo fidem profiteren-
tur.

VIII.

Mos apud Gentiles olim ufitatus divinandi futura ex
animantium immolatorum extis vanitatis me-
rito accusatur.

Δόξα Μόνο τῷ Θεῷ!




Leipzig) Diss.) 1700/01



87

V17





B.I.G.

Farbkarte #13

ACADEMICA

1701, 7
25

ONIS

nis in sacrificiis

U,
um locum

v. 13.

I D E

SCHMIDIO, P.P.

Ephoro, Collegii B. Mariæ
e, Facultatis Philosophicæ

ANO,

*studiorumque suorum Pro-
cultu ad cineres usque
ossequendo,*

m ventilationi

SPONDENS

Pratovallens. Misnicus,

Stud. & Alumn. Elect.

A. O. R. cIs LcccI.

C.

I A,

H. FLEISCHERUS.

